



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666


XXIX. Vtrum Fides sit discursiua?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

de illa exhibenda: Similiterque impedit dubitationem, & probabilitatem de carentia evidentiae credibilitatis, & obligationis hic, & nunc virgentis de existentia duarum priorum cognitionum. Nempe ad dubitandum simpliciter de re aliqua necesse est sub nullo conceptu proprio, ac speciali ipsius illam certitudinaliter innotescere. Hoc igitur pacto vitatur processus in infinitum propositus in obiectione, nec vitari aliter potest, ut apparebit consideranti inter alia, quae multipliciter, & peracutè urget Cardin. de Lugo disput. 5. sect. 1.

Art. 2. Neque verò reflexio ista virtualis incidit in alterum obiectionis inconueniens de evidentia diuinæ reuelationis, & rerum ipsarum credibilium, acque existentia actus supernaturalis, quia ut notatum est q. 26. tam actus fidei, quam reliquæ cognitiones supernaturales, à quibus ipse dependet, attingunt quidem immediatè, & ratione sui obiecta supernaturalia, secundum prædicata conuertibilia cum supernaturalitate, omnibusque prædicatis donorum supernaturalium, de quibus disputant Theologi, & quæ Beati perfectè introspiciunt. Sed eadem cognitiones eam conuertibilitatem minime cognoscunt; imò potest circa illam dubitare, & hallucinari qui credit. Consequens autem hinc est, ut ex cognitiones se quoque ipsas repræsentent secundum prædicata alia conuertibilia, cum omnibus, & singulis prædicatis propriis cognitionum supernaturalium, quin repræsentent eam conuertibilitatem. Cum enim vim omnem repræsentandi habeant ex suis motiuis, non possunt non seipsas eodem modo proportionaliter repræsentare, quo illa repræsentant. Itaque cum quis credit fide diuinæ per ipsum actum fidei (eadem est ratio proportionalis de reliquis cognitionibus) experitur, & conicit manifestè, se credere Deo obscure, & absque vlla formidine, quæ coniunctio est verè supernaturalis, nec haberi potest, nisi ex dono Dei.

Art. 3. Ceterum idem credens nequit eam supernaturalitatem vlllo pacto clariùs assequi sub alio conceptu per ipsum actum fidei, & multò minùs per aliam cognitionem reflexiuam. Quia hæc reflexio superaddita recedit longius à prototypo, qui superat perfectione primam sui imaginem, ad instar cuius, & cuius virtute causatiua, ac motiua cuditur secunda ista imago reflexiua, minùsque proinde participans, minùsque manifestans perfectionem prototypi; ac propterea impotens adequatè magnitudinem sensus illius experimentalis, qui inest primæ cognitioni realiter, ac formaliter directæ, & virtualiter tantum reflexiue. Quia de causa clamare, ac dolere valde solent, qui patiuntur diuinam quod non possint exprimere clarè, quæ clarissimè experiuntur, & sentiunt se experiri. Ut verò hoc habeat, Certum est cognitionem illam experimentalem indistinctam ab actu fidei sufficere, ut qui illum elicit, satisfaciatur præcepto eliciendi, sciatque se illi satisfecisse; nec minùs sufficit certitudo moralis, quæ postea manet in memoria operis exhibitæ. Quia Deus obligat homines modo humano. Et præterea cognitiones præuie de obligatione credendi, non notificant distinctiùs naturam actus fidei, qui exhibendus est, quam cognitiones subsequentes de eodem iam exhibitæ. Satisfacit autem cuiusque obligationi solutio eiusdem cum illa conditionis.



QVÆSTIO XXIX.

Vtrum Fides sit discursiua?

VIDEATUR non esse primò. Quia habitus, qui non est compositiuus, non est discursiuus; siquidem discursus fit per compositionem duorum extremorum. R. P. de Esparza Curs. Theol. Tom. I.

rum cum vno medio termino; Atque hæc comparatio fieri non potest, nisi per compositionem mentalem. Fides autem non est habitus compositiuus; Quia eius obiectum est simplicissimum; Quandoquidem prima veritas reuelans, quæ est in se simplicissima, est obiectum formale adequatum ipsius. Ergo habitus fidei non est discursiuus.

2. Fides non potest inferre per discursum, neque actum fidei, neque scientiæ, neque opinionis. Non Fidei, quia hæc concipitur liberè per imperium voluntatis, ut supra dictum est; consequens verò sequitur necessariò positis præmissis. Non scientiæ; quia huic inest claritas non præconcreta in fide. Non opinionis, quia huic inest incertitudo, quæ non potest derivari ex fide. Nihil ergo inferre potest fides per discursum.

3. Si Fides posset discurrere, posset esse principium actus falsi; quia intellectus non dirigeretur in dispositione præmissarum per diuinam reuelationem, de eadem dispositione, sic vel aliter faciendâ; atque intellectus errare potest, vbicumque sibi desunt reuelatio Dei, & evidentia rei. Consequens autem est impossibile. Quia Fides est donum Gratiæ, & dono Gratiæ nemo malè utitur, ut dicit Augustinus.

Art. 1. Resp. Certum est obiectum formale fidei esse in se simplicissimum: siquidem est ipse Deus, quo nihil est, aut excogitari potest simplicius. Certum rursus est modum nostrum iudicandi, dum anima operatur dependenter à corpore, esse compositiuum; ac diuisiuum essentialiter. Qui enim operatur dependenter à Phantasia, quasi legit, & colligit in fasciculos caracteres in ea dissipatos. Necesse enim est, ut prius apprehendat terminos simplices, ac incomplexos, qui possint esse subiectum, ac prædicatum eoque postea inter se conferendo seu quasi conferendo, fert iudicium coniungens vnum cum alio, vel remouens vnum ab alio. Est igitur actus fidei simplicissimus ex parte sui motiui; compositus vero seu potius compositiuus ex parte cognoscentis, & ex modo cognoscendi.

Art. 2. Certum similiter est interuenire discursum in opere credendi. Cum enim neque credibilitas eorum, quæ credimus per fidem diuinam, neque obligatio sic credendi sint per se notæ, patet necessarium esse discursum, vi cuius vtraque cõcludatur: Siquidem non cognoscuntur per fidem, quam præcedunt. Certum rursus est, quod iam antea indicatum est, primum actum fidei non posse inferri vi vllius discursus antecedentis per consequentiam siue euidentem, siue probabilem: Tum quia inde fieret, actum fidei esse euidentem, aut probabilem, quod apparet impossibile ex dictis. Tum maxime quia obiectum formale consequentis est indistinctum ab obiecto formali præmissarum, aut saltem in illo adequatè continetur, obiectum autem formale fidei est distinctum ab obiecto formali omnium aliarum cognitionum Viatoris; nec in illo adequatè contineri potest, ut patet ex dictis supra. Quæ ratio æquè probat de omni actu fidei, non præsupponente in præmissis alios, vel alium actum Fidei.

Art. 3. Certum denique est actus Fidei posse fungimur præmissarum ad inferendam aliam veritatè, non præcognitam formaliter per ipsos. Quod patet primo à posteriori. Quia familiare est Theologis assumere principia cognita per solam fidem, ad inferendas varias consequentias. Deinde quia fides habet modum cognoscendi compositiuum, ac diuisiuum, ut nuper ostensum est; ac proinde habet idoneitatem ad constituendum discursum, quam habent aliæ cognitiones. Igitur Fides est discursiua, saltem actiue; hoc est, potest esse præmissa illatiua alicuius veritatis.

Art. 4. Queritur iam vtrum, actus consequentis illatus ex duabus præmissis de fide, vel altera de fide,

& altera naturali sit actus fidei; An verò alterius speciei: Pro claritate rei, & tollendis æquivocationibus, quibus ea est obnoxia, vt advertit Vasquez 1. disp. 5. Tria sunt habenda præ oculis diligenter. Primò conceptus Dei de aliqua entitate, secundum aliquod prædicatum, indivisibiliter est conceptus formalis, ac expressus, & non solum realis, ac materialis de eadem, secundum omnia, & singula eius prædicata: Quia est conceptus comprehensivus. Vnde non potest manifestare Deum suum conceptum formalem de aliquo prædicato, & per consequens, nec interponere suam auctoritatem pro eius veritate, quin manifestet suum conceptum formalem de omnibus identificatis cum illo; & per consequens, quin interponat suam auctoritatem æquè, & eodem modo attestantem, quantum est ex se, omnium illorum veritati; licet exterior manifestatio, & interpositio possit esse formalis circa vnum, & purè materialis circa reliqua. Quod in homine non ita contingit, vt pote valente cognoscere formaliter vnum, quin cognoscat formaliter cætera identificata cum illo.

Art. 5. Secundò: Omnis diuina cognitio cognoscit, affirmatque se esse veram; quia est comprehensiva sui, & est vera; ac proinde cognoscit, & affirmat nihil esse, per quod ipsa falsificetur. Quod perinde est, atque affirmare veritatem eorum omnium quæ necessaria sunt ad veritatem formalem ipsius. Quia exclusio falsificantium fieri non potest nisi per veritatem oppositam. Vnde concluditur conceptum Dei formalem de aliqua veritate obiectivam, esse indivisibiliter conceptum formalem de iis omnibus, cum quibus illa essentialiter connectitur, tametsi realiter ab eis distinguatur, non minus, aut aliter, quàm si essent realiter identificata cum ipsa, de quo erat notatio præcedens.

Art. 6. Tertio: longè inter se differunt cognitio illata ex alia, vel aliis cognitionibus, & cognitio essentialiter dependens ab inferibilitate sui obiecti ex obiecto eiusdem, vel earumdem cognitionum. Quia motium, saltem partiale cognitionis illata ex alia, vel aliis cognitionibus, est conexio obiecti, ad quod feruntur cognitiones inferentes, cum obiecto, ad quod fertur cognitio illata, nec oppositum contingere potest, vt patet. At cognitio essentialiter dependens ab inferibilitate sui obiecti ex obiecto aliarum cognitionum, id est, à connexionem vnus obiecti cum alio, potest habere motium distinctum ab eadem connexionem. Poterit enim moveri ex eodem motivo, ex quo mouetur ad assentiendum obiecto, cuius conexio cum alio cognoscitur; siquidem motiuum sit tale, quod æquè possit mouere immediatè ad assensum vtriusque, posita cognitione connexionis inter vtrumque. Et quidem non esse idem cognoscere connexionem vnus cum alio, atque inferre vnum ex alio, patet. Quia Deus cognoscit euidenter connexionem creaturaram secum; neque tamen infert cognitionem sui ex cognitione creaturarum; & nos possumus cognoscere aliquid esse reuelatum, & reuelationem esse connexionem essentialiter cum veritate reuelatorum, quin propterea assentiamur actualiter veritati reipsa reuelata, propter reuelationem, iuxta dicta superius, si simul habeamus demonstrationem eiusdem veritatis.

Art. 7. Dicendum iam est ad quæstionem propositionem. Primò cognitionem illatam ex præmissis, siue altera naturali, & altera de fide; siue vtraque de fide, non esse actum fidei, sed alterius speciei. Quia eius motium adequatum non est sola auctoritas diuina, vt patet ex tertia notatione. Dictum autem est supra, motium adequatum actus fidei esse solam auctoritatem diuinam.

Art. 8. Dicendum rursus est veritatem inferibilem euidenter ex duabus præmissis de fide, vel altera de

fide, & altera naturali metaphysicè euidenti esse certam ex fide, & posse eo ipso credi per fidem diuinam, nec posse negari per se loquendo, nisi per hæresim. Quod patet, quia qui negat aliquid, eo ipso dissentit totaliter, vel saltem partialiter omnibus motiuis valentibus inferre veritatem eius. Ergo in casu posito qui negat veritatem inferibilem, eo ipso dissentit veritati præmissarum. At est impossibile, vt dissentiat, quoad eam partem, quæ est euidentis, & cognoscitur per præmissam euidentem. Ergo dissentit quoad alteram partem, quæ est certa ex fide, & cognoscitur per actum fidei. Negans autem veritatem, quæ est de fide, est hæreticus. Fieri tamen per accidens potest, vt negetur ea veritas sic inferibilis quin aduertatur actus, vel quin cognoscatur euidenter prædicta conexio articuli fidei cum illa; & tunc nulla est hæresis. Quod autem eadem veritas sic inferibilis eo ipso sit affirmabilis per actum fidei, siue sit realiter identificata cum veritate præmissarum; siue distincta realiter ab eadem, maxime verò à veritate, quæ terminat præmissam constitutam per actum fidei; probatur. Quia eo ipso substat ea veritas eidem conceptui diuino, cui substat veritas formaliter reuelata, & eadem diuina auctoritas interponitur æqualiter pro vtraque, vt constat ex notatione prima, & secunda; Ac proinde vtraque veritas habet æqualem credibilitatem per fidem diuinam apud eum, cui est euidentis conexio veritatis reuelatae formaliter, & in propriis terminis, cum veritate non ita reuelata per reuelationem publicam, & communem toti Ecclesiæ. Quod tamen intelligendum est, iuxta nuper dicta, dummodo cognitio eius connexionis non habeat rationem præmissæ inferentis actualiter in consequenti terminum connexionis; sed solum rationem proponentis eandem connexionem, & conditionis siue qua non, respectu actus, quo intellectus assentitur eidem termino connexionis.

Art. 9. Hinc sequitur omnes, & singulas propositiones, siue particulares, siue singulares, siue omnino determinatas, siue indeterminatas, euidenter metaphysicè contentas in propositione vniuersali formaliter, & in propriis terminis reuelata, prout sic contentas in illa, esse de fide: Quod non indiget probatione specialis, vltra eam, quæ proximè data est. Est tamen maxime obseruandum quoddam discrimen. Nam si ea continentia Propositionum, seu particularium, seu singularium sit publicè nota, & intimata toti Ecclesiæ, cui itidem toti sit reuelata, & sufficienter propinata propositio vniuersalis, tunc eiusmodi propositiones pertinent ad fidem publicam Catholicam, & communem toti Ecclesiæ. Si verò vel ea continentia, vel ea reuelatio non sit ita publica, & communis, eadem propositiones pertinebunt ad priuatam cuiusque fidei, in hoc enim secundo casu propositiones particulares, & singulares perinde omnino habent, atque reuelationes factæ personis priuatis, & cum argumentis credibilitatis solum respectu earumdem: Licet autem reuelationes eiusmodi priuatae credi possint, ac debeant, cum adsunt sufficientia argumenta credibilitatis, fide diuina eiusdem speciei cum fide reuelationum communium Ecclesiæ, quod Card. de Lugo, & aliis merito videtur omnino certum ob identitatem motiui formalis, quicquid nonnulli contradicant. Nihilominus fides reuelationis publicæ est longè diuersæ rationis à fide reuelationis priuatae, quoad professionem eius externam, quoad forum contentiosum aliosque nonnullos effectus, quorum discussio non est presentis instituti.

Art. 10. Ex discrimine dato subinfertur rursus in particulari, non esse de fide, sub his numero accidentibus hostiæ consecratae adesse Corpus Christi Domini, hunc numero hominem baptizatum, aut ordinatum accepisse gratiam baptismalem, aut potestatem Sacerdotalem, &

& sic de aliis eiusmodi: Esse verò de fide, & quidem publica, & Catholica, hunc numero hominem, ex. gr. præsentem Innocentium X. esse Summum Ecclesiæ Pastorem, ac Pontificem, & vniuersalem Christi Vicarium, atque D. Petri successorem legitimum; res ab eo definitas, ac declaratas tanquam de fide, atque ab eo propositas, vt tales, & se verè de fide; & sic de aliis pertinentibus ad supremum Summi Pontificis munus, & potestatem.

Art. 11. Ratio prioris partis est, quia licet sit de fide hostiam ritè consecratam conuerti in Corpus Christi; ipsumque Christi Corpus permanere deinde sub accidentibus illius; non tamen est de fide, hanc numero Hostiam fuisse ritè consecratam, cum debita, ac necessaria intentione, & cum legitima potestate enuntiantis verba consecrationis, nec adiunt sufficientia circa hoc indicia, quæ faciant euidentiā credibilitatis. Et quod caput est, reuelatio facta Ecclesiæ, de conuersione Hostiæ ritè consecratæ in Corpus Christi, non redditur falsa, aut inutilis, nec intentio Dei id reuelantis frustratur, tametsi vna, vel altera Hostia, quæ apparet ritè consecrata, & vt talis adoranda proponitur, non sit consecrata reipsa; siquidem in aliis pluribus subsistit effectus conuersionis vagè, ac indeterminatè significatus per reuelationem Dei; atque inde colligitur fructus, quantus inde intentus est à Deo efficaciter. Idem discursus sit circa cætera eiusmodi exempla.

Art. 12. Ratio posterioris è conuerso partis est, quia cum Deus, vt probant luculenter Controuersistæ Catholici, reuelauerit Ecclesiæ suæ visibili, ipsam esse perpetuò duraturam, nec portas inferi esse præualituras aduersus eam; & insuper ipsam esse ædificatam supra petram, quæ est Petrus; atque huic demandatum esse officium supremi Pastoris, & capitis ad pascendum, & regendum gregem fidelium: Neque hæc subsistere possint, quin Petri successores cum eadem pascendi, & regendi potestate perpetuò durent, vt durat perpetuò Ecclesia, quæ neque durare potest visibilis, absque capite itidem visibili, neque sustineri, pasci, aut regi visibiliter potest ab homine è vniuersis sublato: manifestum planè est diuinas eas reuelationes veras esse non posse, & frustratum iri diuinam in illis sufficienter, ac patenter significatam intentionem, si hic numero homo Innocentius X. non esset verus Pontifex, vniuersalis Christi Vicarius, & legitimus in munere, ac potestate successor D. Petri. Manifestissimum siquidem, ac euidentiissimum est nullum esse caput visibile Ecclesiæ itidem visibilis idoneum ad regendum, & pascendum fideles, si tale non est is, qui vt talis agnoscitur concorditer à tota, aut ferè tota eorundem fidelium multitudine. Nec enim dirigi, aut pasci possunt visibiliter ab eo, qui non agnoscitur ab eisdem, vt Pastor, & Rector vniuersalis, nullusque alius nunc agnoscitur, vt talis; sed ipse solus Innocentius X.

Art. 13. Ex qua ratione patet præterea, quando incipiat esse de fide hunc numero hominem pro tempore electum, esse verum, ac legitimum Pontificem Summum Ecclesiæ. Nimirum quando tota, aut ferè tota multitudo fidelium conspicitur vniuersim assensum legitimitati electionis; aut iam tot, ac tales assensere, vt prudenter dubitari non possit, quin reliqui in eandem sententiam ituri sint, inspectis circumstantiis, quæ in loco proximo electioni innoscunt. Nulla namque huius articuli magis idonea propositio, aut datur de facto, aut etiam dari, aut excogitari facile potest, agendo conformiter ad conditionem humanam, atque humano modo, cui se accommodat diuina Prouidentia. Quapropter reliqui etiam articuli, ob eandem istam rationem, tunc illuminationem internam, & proximam credibilitatem supernaturalem nanciscuntur, & incipiunt esse de fide, quoad obligationem proximam

R. P. de Esparza Curs. Theol. Tom. I.

credendi, cum adhibita est exterius propositio sufficiens ex se, respectu cuiusque, ad prudentem humanam credibilitatem; licet ipsa fides humana, ac naturalis articulorum necessaria non sit ad concipiendam fidem diuinam, ac supernaturalem, neque sit vilo pacto composibilis cum eadem; vt liquet ex dictis superius de supernaturalitate fidei diuinæ, & incòpossibilitate cum assensu opinatiuo. Concluditur igitur consequenter in re præsentì ad fidem diuinam Summi Pontificatus, delati huic determinatè homini, præire apprehensionem supernaturalem assensus naturalis cæterorum coniuncti cum argumentis credibilitatis diuinarum vniuersarum reuelationum, quæ præmissæ sunt in probatione huius partis.

Art. 14. Dicendum postremò est, actus fidei diuinæ posse fungi munere præmissæ in syllogismo inferente consequens falsum. Quia veritas licet sit essentialis fidei quoad complexionem terminorum, ex quibus constat; non tamen quoad vtrumlibet ex illis scorsim, & secundum se, cum quilibet eorum scorsim sit indifferens ad veritatem & falsitatem, sicut est indifferens, vt coniungatur alteri termino incomplexo, siue congruente sibi, siue non congruente. Vnde præexistente actu fidei potest adiungi alia propositio naturalis componens alterutrum ex terminis simplicibus fidei cum termino alio simplici, qui non congruat illi à parte rei, ideoque propositio euadat falsa, & idonea ex genere suo ad inferendum consequens falsum: non tamen propterea falsitas consequentis poterit formaliter attribui, etiam partialiter, actui fidei: quia causà formaliter adæquata falsitatis in actu consequentis semper est ea propositio, quæ cum medio termino coniungit prædicatum ex se repugnans, aut ab eodem repellit prædicatum cum eodem connexum, quod in casu posito præstaret sola præmissa naturalis; atque ideo actus fidei se haberet ad falsitatem purè materialiter, ad eum ferè modum, quo se habet Deus ad rationem malitiæ conuenientis actui, qui est peccaminosus, & sicut comparatur tibia sana, & recta ad claudicationem causatam à tibia curua. Tot igitur modis fides est discursiua absque vilo inconuenienti.

Ad 1. Sicut Deus, & Angelus cognoscunt obiecta in se complexa, & composita absque compositione ex parte cognitionis; ita nobis è conuerso accidit, vt quæ sunt in se simplicia, non nisi componendo, aut diuidendo cognoscamus, propter notatam dependentiam intellectus à phantasia cogente ad representandum simplicia per modum compositorum. Quia de causa necesse est, fidem quoque componere, aut diuidere dum enunciat, non quidem affirmando compositionem, aut diuisionem tenentem se ex parte obiecti in se simplicis; representando tamen illud ad modum rei compositæ.

Ad 2. Consequens illatum euidenter ex duplici præmissa de fide; aut altera de fide, & altera euidenti; dicitur notitia habita per demonstrationem Theologicam, & scientia Theologica. Quod si altera ex præmissis non sit certa, aut illatio ex duplici præmissa secundum se certa, sit ineuidens, & incerta, consequens dicitur opinio Theologica, & potest esse falsa, existente tamen causa falsitatis sola præmissa, quæ est naturalis, vt dictum est. Vnde patet, non esse factam sufficientem partium enumerationem in obiectione.

Ad 3. Dictum iam est falsitatem; quæ est in consequenti, neque adæquatè, neque inadæquatè protineri formaliter à præmissa quæ est actus fidei: Quo cessat inconueniens deductum in obiectione. Quia nemo malè vitur ea re, cuius vni adscribi formaliter non potest malum, quod sequitur.